

Pro iudicibus mensarum elegantibus:

ESCARUM ORDO:
*Ius gallinaceum contractum.
 Solearum segmenta fricta.
 Coturnices inter panis frustula assae.
 Asparagi ovorum spuma conditi.
 Fragae in limonis mulso mersae.*

locosa

TUCCIU de ovo meditans:
 — Mihi nunquam persuasum habere
 potui, quomodo pullus ingredi valeat pu-
 tamen quovis foramine expers!

TUCCIU in schola.
 — Heus, Tucci, quae linea duo puncta
 coniungens brevior est?

Tuccius tacet; instat Magister.
 Tuccius tandem:
 — Ah! Linea ferriviae!

Aenigmata

I
 Prodigia nutrimenta feris herbisque ministro.
 Principium mutas? Igne vorace creor.

II
 Parte priore tacere iubes, sed posteriore
 Christiadum claudi vota precesque solent.
 Has partes vocem iungis sollerter in unam?
 Ne stupeas: filum nascitur inde tibi.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
 posita his respondent: 1) *Incus, Ancus;*
 2) *Penna madens = ala uda, Alauda.*

LIBRORUM RECENSIO

DANTES M. MUNERATI S. S. *Promptuarium pro ordinandis et confessariis examinandis.* Ed. V
 auctior et emendatior (Romae, 1938, typis Scholae Salesianae). — Ven. lib. 6).

Qui olim examinerator apostolicus romani cleri
 fuit, hodie vero Volaterranus est episcopus, poli-
 tiori quadam veste nobis praebet quanto cusam
 hanc opellam, quae multa paucis suppeditat or-

dinandis et confessariis. Illis enim in mentem revocat veluti germina ex theologia atque e canonico iure deprompta de ordine universim, de tonsura, deque ordinibus tum minoribus cum etiam maioribus: his autem quae ad confessarii munus rite, sancte ubereque obeundum sint plane necessaria, de poenitentia, de actibus humanis, de legibus, de peccatis, de censuris, de libris prohibitis, de restitutione, de contractibus, de matrimonio, de abstinentia et iejunio; immo etiam, in appendice, nec sine causa, de sacra praedicatione. Omnia nitent ordine, perspicuitate stiloque non ineleganti: quae lectorem alli-
 ciunt.

S. R.

LIBRI DONO ACCEPTI

Oratio pro eligendo Pontifice quam ANTONIUS BACCI, S. S. ab epistulis ad Principes coram Sacro Cardinalium Collegio habuit in sacello Paulino a. D. MCMXXXIX (Typis polygl. Vatic. MCMXXXIX).

MARCO GALDI, *Saggi Boeziani* (Pisis, ex off. ed. C. Giardini, 1938 — Ven. ital. lib. 25).

De re metrica et prosodiaca D. Magni Ausonii. Pars prior: De hexametris et pentametris. — VALENTINUS CRISI scripsit. (Utini, ex off. typ. cui «I.D.E.A.» nomen, an. MCMXXXVIII — Ven. ital. lib. X).

CANAVERO-MONTICONE S. P., *Grammatica della lingua latina* (Regole - Esercizi - Nomenclatura - Fraseologia - Riassunto - Questionario - Conversazione) — Volume III per la terza classe ginnasiale (Edid. Pia Societas S. Pauli. Romae, Albae, Catanae).

C. GALASSI PALUZZI, *L'attività dell'Istituto di Studi Romani durante l'anno accademico 1937-38-XVI.* (Romae, apud Institutum ad studia Romana provehenda, 1939).

AEMILIUS PASETTO, *Liber ludorum in puerorum usum.* (Mediolani, in aedibus Caroli Signorelli a. MCMXXXIX, XVII a fasc. rest. — Ven. lib. 4,50).

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
 Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.


Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

Per.
 Lat
 011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MONITA

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS
FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituiimus libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXVI

Romae, mense Iunio MCMXXXIX

Fasc. VI



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

PII PP. XII

NOVA PATERNA CONSILIA DE PACE

Die II huius mensis Iunii nominali suo, SS. D. N. Pius PP. XII, Purpuratorum Patrum Senatus respondens votis, allocutionem habuit, quae tota rursus fuit de pace munienda, tuenda in orbe Christiano. Eam ideo latina lingua reddere atque in nostris paginis vulgare nobis placuit, quia Romani veri nominis imperii Romanique sermonis nil magis profecto est proprium, quam «pacis imponere morem». ¹

Fuit igitur quae sequitur:

«Hereditibus Nobis, licet indignis, supremi muneris, cui Eugenius Papa, hoc nomine primus, laboris apostolici vigili et assiduo studio, insignique pietate et integritate vitae, novum decus ac tantum attulit. nihil potuit iucundius accidere, quam hac Petri ex cathedra nominalem huius Patroni nostri celebrare diem Vobis stipantibus, quos omnium maxime coniunctos socios itemque et cooperatores lectissimos ad sacras multiplicesque sollicitudines summi Pastoralis officii Providentissimus Deus ac benignissimus dedit.

¹ VERG., Aen. VI, 853.

Quae vota igitur, pia non minus quam alta, Sacri conlegii Vestri Decanus, Vobis Nobisque carissimus, ea verborum rerumque, quae eius est, nobilitate, Nobis vestro nomine obtulit, devotum Nobis animum studiumque vestrum omnium sic palam edunt, ut Nostra in Vos gratia tota redundet, praecipueque Nos moveat ad Apostoli illud vobiscum a Deo una exorandum: «Ut gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in nobis».²

Spes enim nostra, ante omnia Ei innititur et fudit, qui «infirma mundi elegit ut confundat fortia». ³ At, quo die et qua hora, Dei consilium per fraternam Vestram fiduciā erga Nos innotescens, ad huius officii onus Nos advocavit, cuius pariter dignitas ac summum pondus Nos exterrabant certatim, incredibile solacium addidit et animum societas haec vestra tutissima Nobis, quorum doctrina, rerumque usus diuturnus, multorumque annorum cursu aucta iamdiu experientia et prudentia rerum, praevalidos omnino ac fidos cooperatores

² Phil. I, 26.

³ I Cor. I, 26.

comparabant. Ob Vestra itaque vota, Nobis Patrifamilias oblata hac die nostra nominali, dum grates dicimus vobis omnibus, quos singulos diligimus caritate Christi, ea ex animo in Ecclesiam universam referimus, Iesu Redemptoris Sponsam, Nostrumque omnium Matrem, inque mundum totum, quem, hac qua vivimus hora, sollicitudo omnis Nostra curaeque omnes anxie prosequuntur. Nam multimode satur tempus occurrit rerum seminibus, quae tales sive ineunt sive finiunt eventus, quorum ultimus terminus, nulli iam humanae prudentiae aestimandus, nemo dicat utrum aedificationi futurus sit an ruinae.

Atqui non sane *ex mundo sed in mundo* vivit Ecclesia, inque ipso viget exque ipso suos habet filios, eiusque vicissitudines participat sive faustas sive tristes; inque eo varia patitur, iuge pugnat, orat, non secus quam olim suis in exordiis, una cum Paulo Apostolo, « obsecrationes Deo fundebat, orationes, postulationes, pro omnibus; pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut « quietam et tranquillam vitam agamus » in omni pietate et castitate; hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, « qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ». ⁴ Atqui: quid hoc est nisi oratio pro pace tuenda inter populos omnes, quam suis ab initiis Ecclesia Deo illi offerebat « qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire? ».

At per aspera rerum, quibus occurrit, perque earumdem ambages christiana Ecclesiae iter magis magisque est difficile et arduum. Medis enim in discordiis et contentionebus, et in maxima pugna animorum et cupiditatum, insatiatiq[ue] ambitus inflataeque superbiae, auctaeque hinc proterviae atque inde favoris, mediaque in multitudine hominum, qui eo venerunt, ut iam anxi nesciant utrum communem rerum fortunam aciei potius gladii an iuris praenobili

⁴ I Tim. II, 1-4.

imperio, vine an rationi committant, acerbum est maxime Sponsae Christi atque impeditum consiliis eius hortatisque, quae e commisso sibi munere derivant, et ad assequenda veri nominis bona unice contendunt, verum sibi consequi consensum eumque promptumque et alacrem, atque sic optatum, ut, eo cessante, verba cuncta non iam sint amplius nisi « *Vox clamantis in deserto* ».

Attamen ab officio Nostro apostolico nil esset absonum magis quam si externi quicunque obices, sive metus ullus mendacis malignaeve interpretationis falsaeve acceptationis, quae Nostra consilia, quamvis ad bonum undique contendentia, forte calumniarentur, Nos a pacifico Ecclesiae salutarique munere implendo vel minime retinerent. Nam, quamquam Ecclesia mater nulla se patitur implicari vel devinci privatorum utilitate, neque sponte ulla vult inter civiles nationum discordias vel contentiones esse, neve pertrahi se sinit unquam in implexas illas involutasque lites publicas inque eas quae inde passim enascuntur et sine numero multiplicantur, nequit Illa tamen, in gravissimo quovis pacis discrimine inque minitantibus proprius belli vocibus, verbum reticere maternum, vel, data occasione, suam denegare intercessionem ad omnium arma continenda, ad praepediendam omnem bonorum rerumque cladem inaestimabilemque certe ruinam.

Hoc pacis atque iustitiae studio communisque paternitatis intimo sensu ductis, qua hora populorum salus praecipue periclitari videbatur, sub initiis nempe superioris mensis Maii, visum est Nobis peropportunitum nonnullis viris unius alteriusve nationis res publicas in Europa moderantibus sollicitudines patefacere Nostras, quae tunc maxima ex publicarum rerum inquietudine oriebantur, metumque Nos simul urgentem ne discordiae populorum eo augerentur, quo in cruentum tandem bellum erumperent. Pro iis tentaminibus, quae,

non sine grato animo, tum publicis illis rerum moderatoribus acceptissima plerumque accidisse cognovimus, populis vero cunctis quocumque, Nobis quamquam silentibus, res innotuisset, ubique gratissima, Nobis redditae sunt undique sponsiones pacifcae voluntatis, propositaque simul tuendae ac servandae ubique desideratissimae pacis.

Quae igitur indicia publici animi iam nonnihil forte placati nemini poterant plus quam Nobis occurtere laeta, nec potuit quisquam id enixius cupere vel auspicari vehementius, quam ut ea augerentur et multiplarentur in dies. Neque hic est silendum, alias etiam colligere Nobis datum fuisse, inter ea tentamina, investigationes vel notitias circa mentes et animos aliorum quoque virorum negotiis publicis varie adlaborantium, quibus singulis gratissimum Nos animum nostrum profitemur. Quae omnia quidem conceptam iam Nobis fiduciam non parum extulere ad id sperandum futurum, ut humanitatis sensus natura mentibus insitus, gravisque cognitio recteque perpensa publici officii tam coram Deo quam coram hominibus cura itidemque publicae utilitatis magis magisque certa aestimatio, satis ponderis obtinerent et gravitatis, ut singulos populorum rectores in una denique eademque consilia adducerent illius retinendae firmandaeque pacis, quae libertatem decusque populorum aequem communirent eosque ad proposita simul et opera fauste inducerent, quae extenuarent saltem aut minuerent, vel melius, cuncta vincerent obstacula, sive ea vera fuerint sive ficticia, quae certam ac tutam impediant animorum communionem. Quod quidem tantae rei caput nemo mittetur si novis sollicitudinibus, ut par erat, novisque anxietatibus et fecit Nos obvios et faciet, atque dedit ac dabit curis aditum quotidie latiorem.

Attamen fortuna populorum eorumdemque sortes in manu Eius sunt, qui « de-

sursum imperat »; Imperatoris, inquit, orbis totius, qui est et idem Summus omnium Pater, cunctorumque bonorum fons una in omnem mundum. Qui immo, una cum fastis et fatis gentium, corda regit et animos hominum, eaque convertet, quocumque voluerit. Ipse namque dilatat vel cogit, sistit eorumdem animos, aut, immutata licet indole, varie movet. In hominum enim factis et operibus sic omnia nutant, ut ipsius hominis est infirmitas, utque timida consilia sunt, incertae cautelae, modi inepti, labentes gressus, obscurus terminus. At Dei opera cuncta, ut est Ipse, sunt fortia; consilium eius non dubium, certaque sapientia est, quae ludit veluti ac delectatur in regimine mundi; eius quidem deliciae sunt inter filios hominum, nihil tamen Ipsi resistit; quinimo ipsa obstacula ex eius manibus in instrumenta mutantur, quibus Ille et res et facta configit, mentesque ipsas hominum, licet liberas, ad altissimos deducit terminos misericordiae ac iustitiae, quae micant veluti sidera duo imperii eius in universum orbem.

In Eo igitur consistit spes omnis Nostra firmissima. Ut autem caelestis favor supremaque lumina hodiernis hominum fortunis ac maturantibus inde eventibus propitiarentur, Maio superiore mense ad Mariae Deiparae aram nuper advocavimus universum catholicum orbem veluti ad precatorium bellum illudque Crucesignum, cuius in primo agmine candidas puerorum legiones collocavimus, veluti liliorum saepes ad Virginis pedes enata, quos angelorum beata vigilia tuetur, Iesusque Redemptor praecipuo ad se studio vocat, amplectitur, fovet, ut eis benedicat, cunctisque Regni caelorum heredibus imitandos proponat. Innocentia enim eorum dum orat ac supplicat, exemplo est et monimento omnibus hominibus.

Iamque hanc nanciscimur occasionem, ut animi Nostri suavem laetitiam pandamus,

commemorantes cum laude quanta devotionis alacritate, studiorumque animorumque quanta concordia ex toto orbe terrarum, Marianae huiusmodi convocationi certatim responderint Christifideles. Quumque iam mensem ineamus Sacratissimo Cordi Iesu praecipue colendo dicatum, altioris sane animi fervore magisque alta spe in Eum intuemur, qui «Rex est et centrum omnium cordium», cunctarumque anxietatum Unus Solator, Unus periclitantium asylus. Ipse enim, cui «data est omnis potestas in caelo et in terra» mundi huius trementes ac furentes fluctus sedare ne moretur, novumque immittere in homines ac gentes spiritum pacis. Ad quem Nobis alte invitantibus, omnes Ipse iam velit populorum ex animis exque mentibus moderantium eorum, illum excitare consensum, qui de consilio deque prudentia eorumdem, ea iam facta et opera suscitet, quae precibus ac votis bonorum omnium tandem auspicato respondeant.

Quod idem et ore et animo palam edentes votum, Vobis omnibus, divinarum gratiarum pignus, ex plenitudine animi Nostri pergrati, Apostolicam Benedictionem impertimus».

(Latine reddidit I. ANTONELLI COSTAGGINI).

HISTORICAE NOTAE

De priscis Romanorum magistratibus¹

In republica habetur «provocatio ad populum», qua qui a magistratu capite damnatus esset, populum appellabat ut poena absolveretur, causa denuo cognita. Provacationem iam in regno viguisse traditio tenet atque Cicero refert,² nec habemus unde negemus; licet initio forsan non fuisse.

set ius quoddam rei damnati, sed veluti benignum iudicis indulsum; rex autem populi opinione non tenebatur.

Utrum crimina iuraque privata rex cognoverit dissentient doctores; dubium inde exoritur, quia rex, ut vidimus, in vitam publicam, societatem, civitatem fere exclusive intendit; iura vero privata, quae moribus continentur, a patre aut gentis aut familias vindicantur. Sed hic quoque traditio non nihil succurrit; tempore enim historico processus civiles duo momenta habent, primum in iure, ut aiebant, alterum in iudicio. Primum momentum illam, quam «instructionem» nunc dicimus respiciebat, et concludebatur «contestatione litis» coram magistratu, qui «dabat actionem», seu definiebat qua de re agendum esset, et iudicem deputabat ad causam decernendam; alterum momentum litis disceptationem respiciebat coram iudice, eiusque sententiam. Quapropter, licet directe iudex non magistratus causam definiat, iudex tamen a magistratu suam haurit auctoritatem. Deducimus inde, quum inter membra diversarum gentium conflictus ortus esset, partes sacerdotem adire, qui rem definiret, vel arbitrum eligere; quod nisi sufficeret ad componendam item, qui se laesum putaret, ipsum sibi ultionem vi exquirere; tunc magistratum ut liti finem imponeret rixasque praecaveret, ipsum decernere aut rem iudici cognoscendam, definiendam committere.

Denique quia ager publicus est nec priuatorum, nec familiae, nec gentis cuiuslibet, sed civitatis, sed regni, de eodem unus Rex disponit libens uti paterfamilias libere disponit de rebus familiae; atque traditio refert reges revera agri publici partem quamdam assignatam a regibus plebi fuisse.

Rex vitalius est; non tamen stricto sensu hereditarius nec electivus; ipse sibi successorem designat, siquidem sollemne in iure romano illud est: «Magistratus creat

magistratum»; scilicet, ut pater familias designat heredem qui sibi mortuo succedit, ita rex creat regem. Quod si moriatur rex ante novi regis creationem, oportet ut reviviscat. Reviviscit autem ita. Regia auctoritas redit ad patres («auspicia ad patres redeunt»), qui eam singuli exercent per quinque alternatim dies, ordine per sortes definito; primus alterum auspicato designat, et ita successive. Primus interrex designare potest non regem, quia ipse constitutus sine interventu deorum, sed novum interregem creare, et ita porro. Suadetur autem ut quo citius res definiantur. Utrum vero interregnū regula fuerit, ut tenet Mommsenus, an probabilius exceptio, non definiti juris est. Populus profecto in regibus creandis nullas habet partes; creato tamen, convocatur ut eidem obsequium praestet servitute obligetur.

Rex imperium exercet per administratos et coadiutores. Regis absentis Romae vices gerit «Praefectus urbi»; ministri autem regis quod ad religionem spectat sunt Pontifices, Augures, Flamines, Fetiales, denique Vestales.

Pontificis nomen incertae est originis. Communior et vetustior est a «pontem facere». Pontis autem constructio magnum momentum obtinuit non modo apud primitivos populos, qui quum terras ad mare habitarent pontibus viam sternebant ad continentem terram, pontibus domum cum domo coniungebant, pontibus subliciis sese defendebant: unde ponte vitam publicam fere dixeris contineri. Ita et apud Romanos pristinos, siquidem urbs primitiva montibus considebat, qui interiectis superabatur paludibus, quique fluminibus Tiberi, Anio rivisque haud paucis continentur: hinc pontium necessitas. Pontes autem et gentes, vicos, pagos connecebantur, ac deinde urbem ipsam cum finitimis populis coniungebant, et quodam-

modo numen fluminis violabant. Inde pontium sacrosanctus character, quo et dii pontes dicabantur et religione custodiabantur. Initio igitur nonnisi Rex decernere potuit de ponte construendo; ipse enim unus deorum voluntatem explorare poterat; ipse unus iudicare de instaurandi commercii opportunitate atque inde sternendi viam ad regionem trans flumen; ipse unus de periculo quod ex illa parte civitati ab externis gentibus imminere posset; ipse unus denique numen fluvii placare certis quibusdam ritibus, pontemque custodiendum certis quibusdam diis committere, consecrare. Inde etiam momentum artis aedificatoriae quae Pontificibus veluti tradita custodienda esset, cum eaque traditiones illas omnes, quae ius publicum externum, annalium monumenta, civilem primitivam historiam spectant.

Pontificum dignitas atque vis maxima fuerunt in historia iuris romani, eorumque numerus crevit: primum quatuor, dein octo, quindecim sub Sulla, sexdecim sub Caesare; demum numerus infinitus. Vitalicii erant, collegialiter videbant; mortuo uno, cooptatione numerus explebatur. Credita iis erant traditiones, mores, consuetudines, historiae; idcirco sensim praevaluebant in republica non modo ceteris sacerdotibus, licet antiquioribus et praestantioribus, sed ipsi regi sacerorum; neque incredibile est eis et reges ipsos quandoque cessisse, quippe quibus et traditio et ius divinum deposito commissum esset.

Vigilantiae subsunt nullius; supra neminem patiuntur; ne Senatum quidem, neve populum, qui eis subiiciuntur quod ad religionem, sacra cultumque spectat; vectigalia solvunt nulla, militiam nullam praestant. Sub uno Summo Pontifice invigilant legibus, ritibus, institutisque religiosis tuendis, servandis. Prima novilunii die unus ex Pontificibus populum in Capitolo convocat («calat» vel «kalat», a rad. *cal.* = *kal*: clamare, convolare) et ini-

¹ Cfr. fasc. sup.

² De rep. II, 31, 45.

tiū edicit novi mensis lunaris, cui nomen suum imponit (unde primae mensium dies *kalendae* sunt appellatae), simulque edicit qua ratione primi mensis dies sint computandi usque ad *nonas*; nonae autem dictae sunt dies nonae ante *idus*; idus vero (a rad. Etrusca *id*, *fid*, *vid*; unde «dividere») dies quae menses aequa parte dividenter, scilicet decimaquinta longiorum mensium, decimatertia breviorum. Menses decem erant: undevicesimo quoque anno addebatur «mensis intercalaris», ut menses civiles menses aequalarent lunares.

A kalendis «kalendarium» dictum est: qui Pontifex mensi nomen dabat, eiusdem «oponimus» appellabatur; nonis aliis Pontifex edicebat quae festa eo mense essent celebranda, quibusque diebus liceret causas dicere (far=fari), disceptare, definire: qui igitur dies dicti sunt «fasti»; quibus vero non liceret, «nefasti»: hac ratione Pontifices ea fortiter servabant quae animam veluti Romanorum constituebant: religionem et mores, cultum et iudicia, rituales processualesque formulas, fas et ius, ut, teste Festo, etiamtum in Republica Pontifex maximus «arbiter rerum divinarum humanarumque» praedicaretur. Et quia in calendario Pontifices ea omnia notarent quae aut religioni, aut scientiae, aut historiae interesse viderentur, iidem exstiterunt primi annualium, ideoque et historiae, patres. Nil igitur mirum si imperii signis utebantur: toga praetexta, sella curuli, lictoribus; si, teste Livio,³ Pontifex maximus velut imperii custos et quasi erus censeretur.

(Ad proximum numerum).

SYLVIA ROMANI.

³ XXXVII, 51, 1 seqq.

Si fortuna volet, fies de rethore consul;
Si volet haec eadem, fies de consule rethor.

IUVENAL., Sat. VII.

MARTYRIUM SS. AA. PETRI ET PAULI

(Carmen Hipponacteum)

— Surge, Paule, gloriae
nobis cupita lux diu refulget;
nulla splenduit dies
hac clarior; carcer patet, satelles
urget ecce Caesaris;
nos advocat Magister ad coronam.
Quid moramur amplius?
Ad gaudium perenne provolemus.
— Petre frater, ardeo
hac exui veste et videre Christum.
Mox Eum tuebimur
Eiusque vultu perfruemur usque.
O mihi beatitas
furens brevi quam Caesar est datus!
Eia, tortor, adveni,
mi vita Christus est morique lucrum.
— Hei mihi, ter improbus
frustra monente gallo Eum negavi!
— Hei mihi, ferociter
Ecclesiam olim persecutor odi!
— Abluat salutifer
nos sanguis Eius omnibus piaclis.
— En neci dat inscia
te, Petre, Roma, verius Parentem
conditore Romulo;
sed inde fiet grandior per aevum.
Caesaris thronus ruit,
Palatum atra conteget ruina,
stabit at tua omnibus
aeterna Sedes casibus superstes.
— Paule, civis inclite
Romane, fausta comprecare Romae.
— Urbibus beator,
O Roma, cunctis, quae cruore nostro
mox madebis ossaque
servabis omne in saeculum fidelis,

sancta tu vocaberis,
oracula Christi gentibus recludes,
mater orbis et caput.
Sis usque pacis gentibus sequestra,
perge amore cogere,
olim ferox quas ense subiugabas.
— Paule, da mihi osculum,
brevi tametsi separamur hora;
Christus ecce denuo
nos copulabit sedibus beatis.
— Claviger poli, vale,
vale, Vicari purpure Christi.
Haec locuti Apostoli,
diversi ituri milites sequuntur.
Petrus in virentibus
Neronis hortis colle Vaticano
impiger crucem subit,
cervice versa tolliturque terra.
Ducitur satellite
Paulus truci Viam per Ostiensem;
tum iubente milite
consistit et collum obiicit securi.
Volvitur ruens humi
caput revulsum, et clamat ore: Iesu!,
protinusque subsilit,
lingua vocante nomen usque Iesu,
ilicet sed emicat
solo secundum tertiumque, Iesu
semper os et invocat,
dum viva terra prosilit ter unda.
O beati Apostoli,
vestrae benigni e caelo adeste Romae,
cui superna nuncia
tulisti olim daemonumque cultu
liberasti impio,
sacris et imbuisti institutis.
Congregate dissitas
gentes ei, fides ut usque vestro
consecrata sanguine
in orbe crescat, floreat, triumphet.

Mense Junio 1939.

HIRPINUS.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De quibusdam vocibus substituendis


a) Fit circumscriptio cum substantivo «res» in casibus ubi neutrum pronominis, adiectivi aut participii substantive positi cum masculino congruit.

EXEMPLA: De ea re cognoscit, quae homines eloquentissimi senserint (CIC.) — Videntur homines bestiis *hac re* praestare, quod loqui possunt (CIC.) — Unum te moneo, ut in ea re prudentiam adhibeas (CIC., Fam., IV, 10) — Virtus omnibus rebus anteit (PLAUT., Amph., 2, 2) — Quid huic abesse poterit de maximarum rerum scientia (CIC., De Orat., 1, 11) — Quibus rebus permota est civitas (SALL.) — Hostes, re nova perterriti, consti- runt in foro (CAES.) — Quis in rebus vel inveniendis vel diiudicandis acrior Aristotele fuit? (CIC.) — Qua re freti se ab aeterna vindicta quae eis imminentem dicuntur, tutos esse putant? (CIC.) — Quoquo modo se res habet, peto a te ut honoris mei causa Hippiam expediias, tantumque ei commodes et in hac re et in ceteris, quantum tua fides dignitasque patietur (CIC., Fam., XIII, 37).

b) Pro substantivo abstracto, Latini concreto libenter utuntur ad exprimendum tempus, aetatis gradum vel ad actionem denotandam.

EXEMPLA: Archias Romam venit, *Mario consule et Catulo* (CIC.) — *Natura* duce errari nullo modo potest (CIC.) — Quod *deo teste* promiseris, id tenendum est (CIC.) — *Nobis pueris*, opinio fuit M. Antonium omnino omnis eruditio expertem atque ignarum fuisse (CIC., De Or., 2, 1) — *Adolescentulus* miles ad Capuam profectus sum — Sub duce Tiberio Caesare (VEL. PAT., II, 106) — Quam bene *Saturno* vivebant rege prius-

¹ Cfr. fasc. sup.



quam tellus in longas est patefacta vias (TIB.) — *Tiberio principe*, ex fetu supra Castorum aedem genito, pullus in opposita sutrinam devolvit (P.) — Ille Iugurthino clarus Cimbroque triumpho, quo victrix toties *consule Roma fuit* (Ov.) — *Sapientia praeceptrice*, in tranquillitate animi vivi potest (CIC.) — *Me iudice* (Ov.) — Saepe divus Augustus in Occidentem atque Orientem meavit, *comite Livia* (TAC.) — *Vivo Catone*, minores natu multi uno tempore oratores floruerunt (CIC.) — *Puer* in forum veni neque inde unquam diutius quam *quaestor afui* (CIC.) — Philosophiae multum *adolescens temporis tribui* (CIC.).

c) Substantivum abstractum eleganter transit in infinitum.

EXEMPLA: Hoc tempore bono viro Romae esse miserrimum est (CIC.) — Oderunt peccare boni virtutis amore (HOR.) — Nec profuit equis *velocibus esse* (Ov.) — Optat ephippia bos piger, optat arare caballus (HOR.) — *Diligere* parentes prima naturae lex est (CIC.) — Desidioso studere torqueri est (CIC.) — Beate vivere in voluptate ponitis (CIC.) — Quando desinet familia nostra *insanire*? (C. N.) — *Ingemiscere* nunquam viro est concessum (CIC.) — Desperatio audere ultima cogit (TIT. LIV.) — In Urbe sepeliri lex vetat (CIC.) — Licet plures dies abesse (CIC.) — Scribendi sapere (= sapientia) est principium et fons — Adimam cantare (= cantum) severis — Sapientia est nosse divina et humana (SEN., EP., 16, 15).

d) Latini saepe unico substantivo redundunt substantivum et adiectivum.

EXEMPLA: In pueris, ut in speculis, *natura* (= inclinationes naturales) cernitur (CIC.) — *Probitas* (= recta sentiendi ratio) — *Indignitas* (= indigna agendi ratio) — *Celeritas* (= passus acceleratus) — *Festinatio* (= passus festinus) — *Deformitas pravitasque* (= modi deformes et pravi).

e) II quorum actio non perdurat et conditio mutatur, saepe non nomine substantivo, sed participio designantur.¹

EXEMPLA: Romulus vetere consilio *condentium* urbes asylum aperit (TIT. LIV.) — Facilius est *currentem*, ut aiunt, incitare quam commovere *languentem* (CIC.) — Multae bestiae *insectantes* odoris intolerabili foeditate depellunt (CIC.) — Sollet esse gravis *cantantibus* umbra (VERG.) — Macedones querebantur Alexandrum, clarissimum regem, ablatum esse et extinctum. Instare Darium. Quem signum daturum *fugientibus*, quem ausurum Alejandro succedere? (QUINT. CURT.) — Deforme est, cum irrisione *audientium*, imitari militem gloriosum (CIC.).

f) Certa pronomina substantivorum locum tenere videntur; at rectius substantiva tunc subauditia censenda sunt.

EXEMPLA: Tu *ista caelestia* de Scipione quaesisti, ego autem haec quae videntur ante oculos esse magis puto quaerenda (CIC.) — Dubito num *idem* (consilium) tibi suadere debeam (PI.) — Legati Romanii dabant operam ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent *alia* atque antea sentire (CORN. NEP) — Videntur *omnia* repentina graviora (CIC.) — Pulsionem quemdam Socrates geometrica *quaedam* rogabat (CIC.) — *Omnia* summa consequitus est, virtute duce, comite fortuna (CIC.) — Grave est homini pudenti petere *aliquid* magnum ab eo de quo se bene meritum putet (CIC.) — Haec igitur et *alia* innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare quin iis praesit aliquis effector? (CIC.) — Dum *ea* Romani parant consultantque, iam Saguntum summa vi oppugnabatur (TIT. LIV.) — Dum *haec* in Macedonia geruntur, Paulus, prorogato ex consulatu imperio, principio veris in Ligures exercitum introducit (TIT. LIV.) — Tibi *quaedam* (loca) in

¹ Cf. ALMA ROMA, a. MCMXXXVIII, fascic. III, pag. 42, b).

his libris videbuntur obscuriora (CIC.) — Ego mihi maius *quiddam* proposui — Ego vero cupio *ista* omnia quae efficacia expertus sum in te transfundere, et in hoc gaudeo aliquid discere ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia sit et salutaris, quam mihi uni sciturus sim (SEN., EP., 6) — *Haec* si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat? (CIC.) — Philippus iam tum valens *multa* moliebatur (CORN. NEP.) — Multi *omnia* recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur (CIC., OFF., III, 21).

g) Verbis affirmativis non illepide substituunt verba negativa cum negatione. *Litote* fit etiam cum aliis orationis partibus.

EXEMPLA: *Neque enim defuit* qui diversam quoque partem susciperet (TAC.) — Ut leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus et sapiens et legibus parens et civilis officii *non ignorans* utilitati omnium plus quam unius alii cuius aut suae consultit (CIC.) — *Negari non* potest multis saeculis verax fuisse id oraculum (CIC.) — *Negat* Epicurus iucunde vivi posse nisi cum virtute vivatur (CIC.) — Multi *omnia* se simulant scire, *nec quidquam* (= et nihil) sciunt (PL.) — *Negas esse* ferenda quae soleam de me praedicare (CIC.) — Stoici *negant* quemquam esse virum bonum, nisi sapientem (CIC.) — Ego ipse cum Platone *non invitus* erraverim (CIC.) — Macedones Eumenem sibi aliquando anteponi indigne ferebant, *neque* tamen *non* patiebantur (CORN. NEP.) — Atticus *neque* laedebat quemquam, *neque*, si quam accepserat iniuriam, *non* malebat oblivious quam ulcisci (CORN. NEP.) — Pomaque *non notis* legit ab arboribus (TIB.) — Nos quemadmodum instructos et quibus praesidiis munitos miseritis, *non estis ignari* (CIC.) — *Neque illa parva vis naturae est* (CIC.) — Nimirum *non iniuria*, quum ad gubernacula reipublicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac

miserrima naufragia fiebant (CIC.) — *Non sum inscius esse utilitatem in historia, non modo voluptatem* (CIC.) — *Non eram neescius* fore ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret (CIC.) — Si *negarem* me unquam istas litteras ad te misisse, quo me teste convinces? (CIC.) — Ego ipse cum Platone *non invitus* erraverim (CIC.).

h) Saepe verbis genericis substituuntur verba quibus eadem est radix aut significatio ac ipsorum casui.

EXEMPLA: *Similitudines comparat* (CIC., OFF., I, 4, 11) — *Societatem coniungere* (SALL., IUG., 83, 1) — *Exiguum nobis vitae curriculum* natura *circumscripsit* (CIC.) — *Partitionem distribuere* (CIC., PART. OR., 32, 110) — Alterius vitae quodam *initium ordimur* (CIC., ATTIC., IV, 1, 8) — *Natura ipsa terminabit modum* (CIC., TUSC., III, 31, 74) — Ingenui sunt quorum maiorum nemo *servitutem servit* (CIC.) — *Quam me stultitiam, quoniam non est genus unum, insanire putas?* (HOR.).

i) « Non » saepe migrat in « nullus » vel « nihil ».

EXEMPLA: *Haec bona in tabulas publicas nulla redierunt* (CIC.) — *Elephantobeluorum nulla prudentior* (CIC.) — In M. Caelio *nulla luxuries reperiatur, nulli sumptus, nullum aes alienum* (CIC.) — Si tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea *nulla* in orationibus eius appareat? (CIC.) — Erat historia *nihil* aliud nisi annalium confessio (CIC.) — Deum esse qui dubitet, haud sane intelligo cur non idem sol sit an *nullus* sit dubitare possit (CIC.) — *Nullam* mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis (CIC.) — Confirmatur opinio barbaris *nullum* esse in castello praesidium (CAES.) — Ergo, ubi tyrannus est, ibi non vitiosam, ut heri dicebam, sed, ut nunc ratio cogit, dicendum est plane *nullam* esse rem publicam (CIC.) — *Nullus* dolor est, quem non longiquitas

temporis minuat ac molliat (Cic., *Fam.*, IV, 1) — Qui (senes) si nulli fuissent, nullae omnino civitates fuissent (Cic., *Sen.*, 19, 67) — In his locis palus nulla est (Pl.) — Praeposteros habes tabellariorum: quum a me discedunt, flagitant litteras; quum ad me veniunt, nullas offerunt (Cic., *Fam.*, XV, 17).

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

DE MUSICA SACRA¹

Tertium musicae sacrae genus a primo et altero maxime dissidens, quum ad liturgiam, sive ad religionis ritus non pertineat, est quod dramata sacra praebet musicis modis vivificata, ac proinde dramaticum appellatur. Id genus musicae, quae S. Philippo Nerio, ut mox dicemus, debetur, a decimo sexto saeculo labente ad decimum nonum per plures viros suavissima sonituum arte pollentes enucleatius evoluta atque ad summos perfectionis gradus erecta, neglecta postea visa est ac pene oblitterata; quum tandem nostris diebus a Laurentio Perosio, novis virtutibus ac venustatibus aucta exornataque, ad novam excitata est vitam. Huic musicae nomen est « oratorium » ex proximo ecclesiae orandi loco, ubi S. Philippus primitias, ut ita dicam, ac rudimenta huiusmodi cantus a pueris in unum collectis auribus accipienda curavit, ut eorum animum ad caelestia contemplanda extolleret eumdemque oblectaretur. Qui huiusmodi cantus, « laudes spirituales » vulgo appellatos, ad pueros recreandos confecerunt, primi nobis occurunt perinsignes musices magistri Ioannes Animuccia et Petrus ipse Aloisius Praenestinus, quibus magna fuit cum S. Philippo Nerio vitae coniunctio. Horum musicorum vestigis inhaerens, sed tum

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Aprilis.

ampliore evolutione, tum forma quadam dramatica ulterius progressus, Aemilius cui « Del Cavaliere » cognomen datur, primum composuit oratorium, quod inscribitur: *Animus et corpus in ludis scenicis oculos spectantium posita*.

Multae eaedemque insignes sunt huius oratorii musicae virtutes; sed non pauca, neque levis momenti vitia, ex quibus potissima haec duo, allegoriae nempe atque abstractionis abusus, itemque dramaticae vis defectus; quippe quum personarum munere fungantur humanum corpus, humanus animus, intellectus, consilium, voluptas una cum vitae liberae illecebris, angelus custos, beati caeli spiritus, et animi inferis damnati; scena autem actusque quibus constat oratorium, dramatis speciem vix preferant, sed vi dramatica minime pervadantur, neque inter se intime socientur. Actus primus humanum animum aerumnis exagitatum; alter triumphum ab humano animo de voluptate illecebrisque vitae liberae deportatum; tertius denique inferorum Superorumque spectaculum atque humani animi in beatrum sede gloriam spectatoribus praebet. Huic per symbola exprimendi cogitata et acta rationi non leviter adversari videntur cura et studium, quibus auctor vestes, ornamenti, choreas, ac cetera prosequitur, quae oculis praesertim accipiuntur, quaeque ad theatri attinent spectacula. Id sane in nos sui admirationem minime coniiciet, si animadverterimus oratorium principio musicum opus, infasto auspicio, reapse fuisse atque in theatris aliquo tempore actum esse; postea vero, ex profano loco prohibitum, scenarum spectaculo personarumque fictis vestibus sepositis, in templis vel in aulis ad id designatis, ut in praesenti videre est, ad audiendum exhibitum esse.

Huius primi oratorii exemplar vitiis, ut diximus, infectum non pauci sonituum artis cultores imitandum suscepere, qui tum

allegoriae abstractionisque abusu, tum theatalis spectaculi apparatu ac pompa praeter modum peccarunt, adeo ut quinquaginta circiter annis hoc genus musicae sacrae in pravam processerit viam.

Sed provido Dei consilio factum est ut excellentissimus musicus floreret Iacobus Carissimus, qui oratorium in rectum reductum novis locupletaret venustatibus. Atque in primis, ut par erat, ex profano scenarum spectaculo illud subductum prius reddidit; veras personas abstractis, sive iis, quae mente percipiuntur, sufficit in dramate; haec autem ita conficienda curavit, ut auditoribus suaves aut vehementes animi motus potius excitarent, quam sapienter dicta praeverberent meditanda; uno verbo, allegoria expuncta, verum drama musicis numeris vivificantum suscepit.

Carissimiana musica, quae vi dramatica maxime pollet, tria potissima exhibit notanda: nam mysticam polyphoniam ad praecpta Petri Aloisii Praenestini suaviter redolet, et musicam narrationem, cui italicice nomen *recitativo*, iam amplissime evolutam praebet atque perfectam; his autem duabus virtutibus iucundum melos initii nascens mirabili vinculo sociatur.

Praeter nostrum, permagni momenti in sonituum arte a Claudio Monteverde cremonensi sunt excogitata atque in oratorii usum deducta: constat enim inter omnes totam ferme musicam cum sacram, tum profanam, ante perinsignis Cremonensis inventum, in antiquis tonis positam fuisse, proindeque omnes cantus ad genus diatonicum pertinuisse. At vero musicus, quem memoravimus, novos tonos — (id est « genus chromaticum », quod aliquot ante annos iam leviter attigerat Nicolaus ex natali loco Vicentinus appellatus) — felici ausu perspexit detexitque; quo factum est ut latissima pateret via ad novos eosdemque iucundiores musicos modos inveniendos, perfectionisque in dies ad attingen-

dum in hac arte fastigium. Quum vero Iacobus Carissimus in oratorio iam in rectum reducto novas venustates antiquis virtutibus mirum in modum soviaverit, is parens iure merito habendus est huiusmodi musicae sacrae, quae a Georgio Friderico Händel ampliore evolutione perfectioneque postea donata, in causa fuit, ut hodiernum prodiret oratorium.

Carissimianis ex oratoriis quatuor potissimum singulari laude digna existimantur, quibus tituli: *Sacrificium Iefte*, *Salomonis iudicium*, *Iona*, et *Balthassar*. In *Salomonis iudicio* exquisitissima nitet arte suique in audientes coniicit admirationem musica narratio, quae inscribitur: « Verae matris de filio sibi dolo subducto ad Solymorum regem querela ».

Iis, qui in causa fuerunt, ut oratorium magis magisque augeretur virtutibus, Heinrichum Schütz iure meritoque adiungendum existimamus. Is enim, quamvis oratoria conficienda non suscepit, quamplurima tamen musicae sacrae scripsit opera, uti *psalmi*, *sacrae symphoniae*, *spirituales concentus*, *passiones* et cetera id genus, ex quibus pleno hausu Bachius, Händelius et Mendelssonius hauserunt, quorum opera, oratorium quam maxime auctum perfectumque esse accepimus. Polyphonia praecipua virtus est Schützii operum, postremorum praesertim, quae auditoribus sensus pietatis in Deum excitare, et quasi preces suadere videntur.

HERS.

Quid tam poenale, quam semper velle quod nunquam erit, et semper nolle, quod nunquam non erit?

S. BERNARDUS.

*Perfer et obdura: dolor hic tibi proderit olim:
Saepe tulit lassis succus amarus opem.*

OVIDIUS.

Ioannes Laurentius Bernini

Biennio ante exitum saeculi XVII, Neapoli in urbe Italica. I. Laurentius natus est, matre Angelica Galante, patre vero Petro Bernino, bonarum artium cultore, qui Florentia illuc demigraverat. Mature Romam a patre deductus est, qui a Paulo V Pont. Max. accitus fuerat.

In eo erat, iam ab ineunte aetate, praeter docilitatem ingenii, ea ad artes propensio, ut omnia propemodum summa natus videretur.

Nam adhuc puerulus annorum decem, tam bene finxisse ac sculpsisse traditur effigiem humani capitis, ut omnes in admirationem raperentur.

Itaque et patiens fuit in laboribus perferendis et tempori studiosissime parcens; ita ut vere de eo dici possit:

Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.

Quamvis pictura et comoediis admodum delectaretur, singulare tamen amore, prae ceteris bonis artibus, sculpturam atque architecturam ita prosequutus est, ut in iis fere principem locum obtineret.

Neque tamen, quum multos haberet obrectatores laudum suarum, aut animum despondit, unquam, aut cuiquam succensuit; quin imo, vel ob eam causam, studii amore bonarumque artium ad ardua quaeque ac maiora perficienda excitabatur.

Quum igitur, ineunte adulescentia, prae clara ingenii sui specimina protulisset, deinde autem unus sui temporis maxime floraret, cum operum varietate ac nobilitate, tum exquisito quodam (licet interdum artificioso nimis) effingendi modo, non est dubitandum quin multa atque admiranda, praesertim in Urbe, reliquerit opera ac post se nobile nomen maximamque gloriam.

Sed ut is ad excellentiam artis contenderet, non parum valuit commendatio et

favor Pontificum Romanorum; quorum quidem munificentia nulli egregio viro unquam defuit, qui bonis artibus ac litteris optimam cuperet operam impendere.

Fertur enim Paulus V, quum quoddam eius opus sculptile fuisse admiratus, blandis ei verbis dixisse, uti tot aureos numeros utraque manu semel ex arca desumeret, quot pro lubitu suo vellet.

Maffeius autem Barberinius (cuius fidei Berninius ab ipso Pontifice fuerat commendatus) Summum Pontificatum adeptus, illum sic benigno ore allocutus est: «Tibi felicitati vertit Deus quod Maffeius Barberinius fuerit Pontifex renuntiatus; mihi vero honori et gloriae, quum tanto viro uti possim in operibus artis pro Ecclesiae Urbisque decore perficiundis». Ab initio igitur Pontificatus Urbani VIII orditur, si ita loqui fas sit, *cursus honorum* huius excellentissimi viri, cui, ob eius insignia erga artes merita, perpaucos pares arbitramur.

Is vero nunquam aut otio indulxit aut pepercit labore, cui tantam diei atque etiam noctis partem impendebat, ut si quis eum vellet studio occupatum interpellare, dicere consueverit: *Sinite; nam artis amore sum captus.* Quo factum est ut, ingenio ac labore, bonarum artium cultoribus prae clara exempla reliquerit imitanda.

At nunc vel ipsa narrationis necessitas nos urget ut quaedam de operibus eius proferamus. Sane admiratione percellimur, quoties sive divi Petri cathedram in abside Basilicae Vaticanae, sive tabernaculum aeneum, omnium maximum, eiusdem sepulcro superimpositum, sive etiam forum in amphitheatri formam, utraque parte CCLXXXIV ingentibus columnis nec non IVC sanctorum stantibus signis circumseptum, intuemur.

Cathedra, quam monumentis maiorum constat a Pudente viro clarissimo Apostolorum Principi fuisse donatam, aeneae sedi inclusa servatur, eamque quatuor maximi

Ecclesiae doctores, praeter naturalem formam aere efficti, sustentant; desuper radiis colluentibus cultuque angelorum ornata est.

Quatuor vero in spiram ductae columnae per pulchra arte ornamentis condecoratae, una cum tegumento, iussu Urbani VIII, ex aere tegularum conflatae sunt quae barbarorum direptioni supererant de templo M. Vipsanii Agrippae.

Iis operibus adiiciendum est monumen tum pulcherrimum Urbani VIII in Basilica Vaticana, duabus hinc et illinc statuis clarum, Iustitia et Caritate, nec non aeneo eiusdem Pontificis signo. Aliud quoque monumentum inibi Bernini opera confectum admiramur, quo Alexandri VII corpus inlatum est, statuis item ex marmore ornatum. In foro autem agonali, ubi circus Domitiani exstabat, pulcherrimum fontem intueri datum est, aquarum copia atque ornatu spectandum, quem Berninio Innocentius X construendum commiserat.

Effinxit artifex petrosam rupem, unde ingenioso delapsu leni murmure exslientes aquae in stagnum cadunt; in summo autem vertice ille posuit obeliscum, qui olim spinam circi Maxentii extra portam Capenam exornabat: in rupe vero quattuor maiorum fluminum effigies affabre sculptae condidunt.

In eodem agonali circo, meridiem versus, aliud Bernini opus spectandum exhibetur supra fontem, idest Tritonis statua, delphinum cauda arripientis, quam vulgo sub nomine *Mauri* novimus. Itidem Tritonem cava buccina aquas elicientem in foro Barberiniano conspicimus. Exstant et alii eiusdem artificis fontes, sive Romae, sive in pago Lanuvino et in castro Gandulphorum.

Si vero aedificia species, uti palatium Barberinianum ad circum Florae, frontem palatii Odescalchiae domus ad Basilicam Ss. XII Apostolorum, Curiam Innocentiam in Monte Citorio, aliaque multa,

quae Berninius vel delineavit vel absolvit, non minus eum admirari quam dignis laudibum cogimur cumulare.

Templa etiam ac sacella non pauca eo artifice exaedificata sunt, quae tum architectonica arte, tum omnigeno ornatu, et Urbis maiestate et catholicae nobilitate religionis digna profecto existimantur, quorum numero adscribendum est templum Sancti Andree Apostoli in colle Quirinali, aedes rotunda in pago Aricino, iussu Alexandri VII erecta ac Virgini ab angelis in caelum assumpta dicata, templum Sancti Thomae a Villanova in castro Gandulphorum, sacellum Cornariae domus in aede S. M. de Victoria ad thermas Diocletianas Romae, atque alia alibi.

Item complura sunt neque minoris momenti ea quae eius scalprum edidit simulacra et signa, sive sanctorum ac virtutum, sive nobilium virorum: sed vel praecipua enumerare si velimus, longiores simus.

Igitur tot tantisque operibus, excellentiissimi artificis Europa universa adeo percrebuerat fama, ut eum reges ipsi ac principes honoribus donisque cumulaverint. Digna profecto recordatione sunt quae de Berninio verba protulit Carolus I Angliae rex, qui quum ad eum annulum magni pretii dono per virum aulicum mitteret: «Pete Romam, — inquit, — eamque hoc annulo manum orna, quae tam belle effigiem meam marmore absolvit».

Quam omnium existimationem sibi Berninius adscivit non arte tantum, sed animi etiam morumque probitate; nam, praeterquam quod paterfamilias optimus, atque erga alios nemo unquam eo suavior, ea fuit liberalitate ut alienam inopiam saepelientissime sublevaret. Quapropter sapientissimis viris, ipsisque Summis Pontificibus, praesertim Urbano VIII, familiaeissime utebatur.

Gloriae tandem plenus egregius artifex, urbis Romae reique catholicae decus ar-

tisque iubar, anno aetatis suae octogesimo secundo, Romae decessit; cuius corpus humatum est in Basilica S. Mariae Maioris in Exquiliis, prope aram maximam extra presbyterium, dextrorum.

Ad eius sepulcrum nil omnino invenitur, quod tanti viri memoria sit dignum, si hanc inscriptionem excipias: *Nobilis familia Bernini hic resurrectionem expectat.* Attamen fore sperandum est, uti sumptu publico aut conlata pecunia monumentum memoriae eius aliquando splendidius assurgat.

I. C.

COMMUNIAE VITAE

De indumentis virorum

Quoniam, astris ad mitiora conversis,
Diffugere nives, redeunt et grama campis,
Arboribusque comae,
aequum hominibus est ita facere, ut ea deponantur indumenta, quae hiemalibus rigoribus arcendis hactenus fuerunt idonea, et ea sumantur, quae afflanti Favonio mage consona videantur. Favonio, dixi? Austro, dicam, qui plumbeus ingruit, fugatisque Aquilonibus,

Romuleos prorsus vitor dominatur in agros.

Meditatus haec animo, aerariolum quae-sivi meum scrutans ad ima, et crumena refecta non sine suspiriis, nam redigebar ad assem, viam cogitabundus inivi, qua temporis necessitati prospicerem, opportunitati consulerem.

Aestivis, aut saltem vernis, vestiri cupidus indumentis, inhians, ubique et undique prope « sagarias officinas » pendentibus, respiciebam singula; at inscripto saepe territus pretio, quae desiderabam, non petebam, quae oblata erant ab hero pro foribus emptores et praetereuntes non

incuriosos callide perscrutante, respuebam.
— *Timeo Danaos et dona ferentes!* Hic mihi sermo intimus quum gratias agerem accienti ultro, invitanti; quippe in unoquovis legebam uncialibus literis eminentia, quae ille alto corde premebat:

Emungam, hercle!, hominem probe hodie!

Sic per emporia, per vicos mihi, volenti et nolenti simul, erat iter, tempestate voluntatem premente ut emerem, angustia et inopia pecuniariae rei validius retrahente ne facerem. At ecce ne facerem, qui facturus exieram?

Multa praetergressus et praetergrediens, philosophico more (hoc namque genus hominum semper, dum sicci, vacui et expertes pecuniae sunt, ratiocinari solent) ratiocinabar et ego de vestibus, ad quas nos cogit usus, ita supervacaneis, ita diversis et ab archetypo corpore incidentibus, ut mirabile sit homines ad ea potuisse flecti fingenda, quae si vera essent, infirmos, deformes et miserrimos faceret. Ecquid enim si caput nostrum tale esset quale fingit illud « galerum turritum », quod plerisque fuit et adhuc est in deliciis? Quid si crura nostra tale tumescerent quale « femoralia » ad usque talos ostendunt? Quid si pendentibus frueremur pellibus cartilagineis circa renes, costas et stomachum, prout nos gaudere ostendimus, dum « endromide » induiti per plateas molem nostram circumferimus tumide « endromidatam »? Ecquis, et quatenus risu et miseratione dignus ille videretur, qui succisam cartilaginem ad stomachum usque pro pectore, a tergo autem instar hirundinis caudae pendentem deferret ad popliteis? Et nihilominus talis est patricius ille deliciosus habitus, sine quo cuivis minime liceat regias arces, optimatum conventus, choreas frequentare, versari in sollemnibus, quoties haec celebrentur.

Quid ergo? Admiramini philosophiam, letores. Alter in Etruriam universam Ho-

ratius, constitueram omnes usus indumentorum repellere, si membris conformatio-nique gerentis corporis ad amussim et apicem non responderent. Alea iacta erat.

Probe noscitis, interdum fortassis etiam experti, hominem ira concitum celeriori pede procedere. Indignans ego gressusne cohibere meos poteram? Festinabam igitur forte, atque, uti bonus Via Sacra Horatius, forte ibam. At urgente austro, incalescente sole, Maio vim suam horis meridianis ex-promente validius, sudore manabam. Quid facerem? « Sudariolum lineum » e « succiperio » trahebam, perque vultum collum-que ducebam. Consideravi tunc opportunum fore aliquid homini, in quo « sudariolum » non modo, sed vel « mucinum » recondere, atque infelicissimos iudicavicanes, et asinos, et boves, et reliqua animalia praeterea, propterea quod peras huiusmodi non haberent.

Verum in arcto res erat leviori veste contegi. Hinc constituto animo, et philosophica omni meditatione amanda, quem primum obiecit sors venditorem indumentorum petivi. Officiosus hic homo, at verbosus ut graculus, mihi totus illico fuit et ambire oblati, et laudare mercem, dum pueri per castella, per pluteos, per armaria quaeque deferre, obiicere, coram ponere, ad oculos admovere.

— Ne fraudes, domine, te tam bellum ore, tam gravem incessu, hoc indumento! Indulge amicis tuis quoad ista suadentibus. Defer — certe liberos habes aut nepotes carissimos —, laetos fac exspectantes. Omnia pro omnibus optima in promptu, praesto, pree manibus adsunt. A « diabatris » et « caligis » ad « subuculam » et « ligulam », a « numello » et « calceo » ad « crepidam » et « focale », pulcre quadrant. O pueri, deferte... « pallia », « bardocuculos » focalia, « pileolos »... Hic omnia, here, omnia ista tibi.

Sic magna voce iubere negotiator ille, dum ipse paene suffocatus exclamo:

— Tot ego non egeo. Idoneas tempori da mihi vestes; plura non quaero; satis illa sunt, quae sufficient. Liberos non habeo; non sunt nepotes!

Ast ille, surdus ut aspis, sexcenta congerere a « pedali » ad « galerum » et mini valedicere ut abire cum puer, qui mōlem illam deportaret metellus.

Frustra ego:

— Quanti haec omnia? Rebus timeo ini quam pecuniam. Quae potero, quae necessaria sunt emam.

Ille ad me: — Abi, abi; amabo te; puer pretium te docebit de singulis.

Nihil valuere preces, nihil obsecrati ones. Exivi alio iturus, ut billem decoqurem. Puer sarcinam ingentem gerens me sequebatur. Frustra templum adivi; exspectavit pro portis; « caffeariam tabernam » intravi, non ut reficerer, sed ut sequentem abiicerem; stetit persecutor ad fores; amicum quae-sivi; sequutus est ille, nec discessit a scalis, nisi ubi ipse descendit. Brevi, ne tota die domo exsul vagarer, una cum illo domum petii, qui indicem pretii et sarcinam deposituit. Ita porro, ut ego me, et quos non habeo, vestiam, aere premor alieno.

P. d. V.

ANNALES

Germaniam inter atque Poloniam dis crimina.

Hitleri declarationi circa hebescens na vale foedus inter Germaniam et Angliam, de qua in superiore hac eventuum recensione mentionem fecimus, sequuta brevi est et foederis denuntiatio ab eadem Germania cum Polonia icti anno MCMXXXIV, hisce de causis ab ea adductis: offensione nempe in Germaniam inflata per pactionem a Polonia cum Anglia recens initam, quippe quae in ipsam Germaniam unice fuerit suscepta; praeterea ex liberalis comprehensionis in

Polonia defectu ob detrectatas novas rationes de Danzica civitate a Germania propositas. Opponunt Poloni nullam offensionem, quinimum nullam rem novam, ex appellata cum Anglis pactione ortam esse: est enim ipsius naturae quam quae cum Gallis anno MCMXXV ipsi peregerunt quaeque Germaniae non impedivit quominus ea foedus an. MCMXXXIV cum Polonia iceret. Si Polonia praesidii pactions cum Anglia nunc constituit, nonne prius, et post ipsum foedus de quo disputatur, Germania non modo alia cum aliis populis pacta est, sed fines civitatis suae amplificavit, territoriorumque statum immutavit, quum nullum a Polonia consensum aut saltem opinionem ullam requisiverit de huiusmodi suarum actionum accommodatione cum pactionibus anno MCMXXXIV invicem transactis?

Si igitur rerum immutatio aliqua intercesserit, non in caput Poloniae, sed in Germaniae potius ea recidere iure videatur, eoque magis quod praecipuus denuntiati foederis finis esset «status quo» observantia ciaca utriusque civitatis territorium. Denique quum foederis condiciones per annos decem positae fuerint, neutri parti licebit sine alterius voluntate fidem mutare ante statuti temporis diem.

De Danzica autem quaestione Poloni se promptos paratosque declarant ad disceptandum de emendationibus inducendis in legibus civitatis quoad eius subiectionem Nationum Societati, non quidem circa eiusdem territorii concretionem cum Germania: id enim idem esset ac Poloniae exclusio a Baltico mari: ipse novus Gdyniae propositus portus torpens omnino fieret.

Quid inde? Numne parva hinc scintilla magni effectrix incendi? Deus avertat, ad cuius gratiam precibus conciliandam non modo Summus Christianae Ecclesiae Pastor ac Magister Pius PP. XII iterum iterumque universum orbem hortatus est atque in dies sollicitat, sed ipse Chamberlainus, Anglicorum negotiorum supre-

mus Moderator, qui in recenti sua oratione: «Persuasum nobis est — inquit — neminem tu bido hodie rerum statui armis bellique apparatu mederi posse; in profundum magis agendum est, neque mihi est dubium quin Dei auxilium undique precibus invocatum, omnium votis pro pace satis superque sit responsurum».

Foedera

Politicae simul ac militaris societatis regulae superiori mense Maio firmatae sunt inter Germaniam et Italiam ad mutua utriusque civitatis munera in «axe», qui dicitur, eas coniungente figenda.

Amicitiae autem pignus Itala ipsa cum Jugoslavia renovavit, quum Princeps, qui hoc regnum adulescentis nepotis nomine moderatur, Italiam superioribus proxime diebus cum uxore visitavit.

Ex Hispania

Magna copiarum lustratione a Franco, Hispanorum victore duce, Matriti peracta, novum illius populi regimen instauratum est, cuius symbolus dici potest depositio gladii ab ipso Franco peracta ad altare Dei. Nobilissimae genti prospera cuncta cum universo orbe ex animo ominamur.

Auxilia, quae a Germania Italiaque in humanitatis defensionem illuc missa fuerant, in patriam reverterunt.

Pontificiae dominationis auspicatio

Sollemnia ad Pontificiam dominationem auspicandam in Lateranensi basilica celebrata sunt die Dominicæ in caelum Ascensioni sacra. Pius PP. XII inter ovantem et gratulantem populum Urbis vias a Vaticano ad Lateranum automobili curru vectus transivit, sacrisque peractis immensae hominum multitudini loca circum late sti panti amplissimam benedictionem ex centrali basilicae podio impertivit.

O utinam in salutem humani generis eam Omnipotens quam citissime convertat!

POPULICOLA.

VARIA

Veram virtutem in summis difficultibus tantum apparere.¹

Anno Servatoris nostri 1494, quum nostra (Florentina) Respublica multis bellis occuparetur, nec quisquam nostrorum civium singulare aliquod virtutis exemplum edidisset, tandem sors in Antonium Iacominum incidit, qui singulari rei militaris peritia praeditus, modum ostendit exercitibus imperandi. Et excelluit illius virtus tamdiu, quam difficilia illa atque periculosa bella durarunt, nullo certorum civium se illi per ambitionem opponente. Sed, confectis iis, quum alia faciliora levioraque bella gerenda essent, semper multos habebat competitores, usque adeo, ut quum tres eligendi essent duces, qui Pisæ obsiderent, ipse ex illorum numero esse non potuerit. Ex quo errore, etsi nemo observarit, id profecto sequutum est, ut Pisæ, quae Antonii industria ad deditiæ facile compelli potuissent, adversus hosce imperitos duces se tam fortiter defendenterint, ut a Florentinis nonnisi pecunia emi potuerint. Sed interim singularis fuit Antonii humanitas et patientia, qui de vindicando hoc sui contemptu iniuriaque nunquam cogitavit.

Est vero generatim in re publica providendum ne civi, qui insigni aliqua iniuria affectus sit, demandetur provincia administrandi rem magni momenti. Claudius Nero, qui ab exercitu, quem Annibali oppositum habebat, discedens clanculum cum parte copiarum ad Livium collegam prefectus est, ut coniunctis viribus cum Asdrubale pugnarent antequam ille fratri Annibali se coniungere posset: prius Hispaniae imperium sortitus, cum eodem Asdrubale infeliciter bellum gesserat. Nam quamvis occupatis saltibus quibusdam, iuxta Ibe-

¹ Cfr. fasc. sup.

rum fluvium, Asdrubalem in tam arctum locum coegisset, ut ipsi vel iniquo loco pugnandum, vel fame pereundum fuisse, tamen ab eodem deceptus fuerat fraude Punica, ita ut sub specie conscribendarum pacis conditionum, Asdrubal aliquot diecum dilationem nactus, interim noctu ex saltus illius angustiis clam exercitum deduxerit in tutum locum, non sine insigni ignominia Claudi. Quae res Romam perlata, Claudio magnum vituperium cum apud patres tum apud plebem pepererat. Sed idem hic postea consul factus tam audax consilium arripuit, ut relicto exercitu sine duce, solo Annibalis errore confusus, qui eum abire ignoraret, cum exercitus parte a Lucanis in Picenum ad Livium collegam, quantis potuit itineribus, contenderit, ut Asdrubalem, a quo prius fallacibus pacis conditionibus elusus fuerat, oppimeret: quae res usque adeo sollicitam reddidit Rempublicam, ut universa civitas in luctu terroreque fuerit, donec nuntium rei bene gestae accepisset. Ferunt autem Clodium interrogatum postea, qua de causa tam audax consilium arripisset, quo publica libertas totaque Respublica in summum discrimen adduceretur, respondisse eum, se id propterea fecisse, quod sciret fore, si succederet eius instituti ratio, ut macula illa deleretur, quam ad Iberum fluvium, ob eiusdem Asdrubalis fraudem accepisset. Si non successisset, vindicatas iri calumnias, quas in immeritum se tunc Populus Romanus coniecerat. Itaque quum haec ita se habeant, et videamus in illa Republica quae nondum tanta morum corruptela laborabat, quanta nostra aetate omnium hominum mores occupavit, tantam fuisse in egregio cive vindictæ cupiditatem, facile intelligere debemus quid de nostris hominibus, si quando magna iniuria afficiantur, sperare, aut exspectare debeamus; maxime vero si consideremus hisce malis nullo medio obviam iri posse.